

Deinde fiduciam suam, ac securitatem ex eo conceptam profert, dicens: *Non timebo*: id est, securus sum, ac tutus. *Quid faciet mihi homo?* Quasi obijcienti ac dicenti: *Non timebis?* Nescis tibi tam multos esse inimicos & aduersarios? respondet animo confidenti: *Noui quidem, sed quid mihi facient?* Homines sunt, אַרְיָא sunt. Dominus pro me est. Quid poterunt contra eum, quem Dominus defendit?

Per illud, *Inter eos qui me iuuant*: intelligit eos, qui partibus ipsius clanculum fauerant, homines boni, ac timentes Dei: & eos quoque, qui cum ipso fuerant in exilio, viri circiter quadringenti: de quibus 1. Sam. 22.

Et ego videbo, inquit, in illis qui me odiunt. Quasi dicat: Tam abest, ut mihi ab illis timeam, qui me odio immerito prosequuntur, ut confidam me illorum potius interitum visurum, quam ut aliquid aduersum me sint effecturi.

*Bonum est sperare in Dominum.* Hi duo versus sententiam habent, prolatam ex certitudine experientiae. Collocabam, inquit, non nihil fiducia in quosdam ex magnatibus Saulis, etiam in ipsum Saulis filium Ionathan. Verum re ipsa expertus sum, vanam esse salutem hominum, & Dominum solum esse Deum saluandi. Illorum me alij fefellerunt. Homines mali alij, etiam si vellent, defendere me tamen non potuerunt, inter quos erat & Ionathas. Quapropter tanquam expertus, liberè pronuncio, multò esse melius sperare in Dominum, quam sperare in homines, etiam si sint magnates ac principes. Nam spes in hominem collocata, fallit & confundit: in Deum verò si quis speret, haudquam confunditur. Cuius rei exemplum in me iam ob oculos cernitis, ita ut res ipsa clamiter, etiam si ego taceam, bonum esse, sperare in Dominum, magis quam in hominem.

*Ex angustia inuocauit Dominum.* Quae hinc notanda sint, vide supra Psal. 18. vers. 6. & Psal. 50. vers. 15. & Psal. 107. vers. 6. & 13.

*Respondit mihi in latitudine Dominus.* Quae de verbo respondendi notanda sint, vide supra Psal. 4. vers. 1.

*Dominus pro me, non timebo.* 1. In hisce duobus versibus primùm illud considerandum est, quòd experientia diuinè bonitatis erga se declarata edoctus secundò gloriatur & asserit, esse pro se Dominum. Documento nobis id esse debet, quomodo & ipsi ex beneficijs diuinitus acceptis sentire, & certò cognoscere debeamus, esse pro nobis Dominum, etiam si aliquandiu nos virga paterna castiget, & tribulationibus exercent: quemadmodum & Propheta se hoc ipso Psalmo infra vers. 18. à Domino castigando castigatum esse memorat. Non est igitur acquiescendum iudicio carnis, quae in tribulationibus dicit: *Abiecit me Dominus.* Sicut & Dauid in tentationibus constitutus dicebat: *Proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Sed potius fidei sensu firmiter nitendum ac credendum, facere pro nobis Dominum, quicquid caro regerat. Cùm autem de sensu beneficiorum Dei loquor, vnde fides nostra confirmata, Deum pro nobis esse gloriatur, nò ea tantùm beneficia Dei intelligo, quae sunt corporalia ac temporaria: sed & idq; cum primis, spiritualia illa & sempiterna, quae nobis in Christo filio Dei contigerunt: utpote quòd ad regnum Dei & vitam aeternam, per Euangelij prædicationem vocati, cognitionem Dei nacti, spiritu fidei imbuti, regenerati ac iustificati spem vitae aeternae consequuti sumus: & quae alia, tanquam electi Dei per Christi gratiam accepimus, & fidei sensu accepisse nos experimur. Vnde & cum Apostolo colligamus, esse Deum pro nobis: Rom. 8.

2. Deinde obseruandum est, quid ex eo, quòd sentiebat esse pro se Dominum, colligat Propheta, vel potius quantam fiduciam ac securitatem animo concipiat. *Non timebo*, inquit. De hac fiducia vide supra Psalmo 23. vers. 4. Consimilem fiduciam & Apostolus ex eo colligit, ad Rom. 8. quòd fide sentimus esse Deum pro nobis. *Si Deus pro nobis*, inquit, *quis contra nos?* hoc est: Quis poterit nos perdere? & ab ista felicitate deijcere? Nà alioqui nimis multi sunt in hoc seculo, qui electis aduersantur, ut cū Propheta dicere queant: *Domine, quàm multi sunt, qui tribulant me? quàm multi insurgunt aduersum me?* Verum nihil possunt cōtra nos, non solùm homines, sed nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec persecutio, nec gladius, neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; aliqua creatura, ne portae quidem inferorum, contra quae omnia victores euadimus, per eum qui dilexit nos, & illustrissimum dilectionis suae argumentum in eo declarauit, quòd proprio Filio suo non pepercit, sed hunc pro nobis omnibus tradidit, & vnà cum illo omnia donauit: hoc est, omnium nos honorum suorum hæredes constituit. Quæso per Christum, qui hæc viua & efficaci fide in corde suo sentit, quidnam aliud dicturus est, quàm cum Propheta: *Dominus pro me, non timebo: quid faciet mihi homo?* Et cum Apostolo: *Si Deus pro nobis, quis cōtra nos?* Et: *Quid me poterit separare à charitate Dei, quae est in Christo Iesu?*

3. Tertiò considerandum est & illud, quòd non simpliciter dicit, *Quid faciet mihi homo?* אַרְיָא. Atqui inimici Dauidis erant potentes, principes ac satrapæ. Verum non considerat in illis quales sint honore, dignitate & viribus: sed quales sint natura & carne. Homines sunt, inquit, אַרְיָא sunt, non Deus, qualiscunque sit illorum personatus cultus in hoc seculo. Ad eum modum & nos in aduersarijs regni Christi non consideremus, quales sint externo personatu, sed quales sint reuera: homines videlicet, infirmi ac miseri: quorum nec consilia, nec vires quicquam possunt contra Dominum.

4. Quartò etiam illud considerandum est, quomodo Apostolus ad Ebræos cap. 13. hunc versum ad hoc citet, ut Christiani admoneantur, quo sprete avaritia, cōtenti sint præsentibus. Sic enim ibi legimus: *Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus.* Ipse enim dixit: *Non te deseram, neq; derelinquam:* Ios. 1. Ita ut confidenter dicamus: *Dominus mihi adiutor est, non timebo: quid faciat mihi homo?* Sic Apostolus ex Græca versione citauit. Ergo nullam melius est aduersus avaritiam remedium, quam

Vers. 8. &amp; 9.

OBSER.  
Vers. 5.OBSER.  
Vers. 6. & 7.  
Vnde cognoscatur esse pro nobis Dominum.

Quae fiducia ex eo sequatur, quòd sentimus esse pro nobis Dominum.

Ebr. 13.